



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Casparis Ziegleri De Episcopis eorumq[ue] juribus,
privilegiis, & vivendi ratione, Liber Commentarius**

Ziegler, Kaspar

Norimbergæ, 1686

XXIX. De Jure, quod competit Episcopo circa executionem Testamentorum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61543](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61543)

administratoribus, unoquoque ex Oeconomis inquirente sibi commissa administratione. Reliquarum vero rationem inquirent ex iussione scripta patriarchæ, qui rationibus subscribet hoc: RELEGI, & quod extra hanc observationem discussum fuerit, de domo suâ Oeconomi præstabunt. -- -- In continenti oportet Oeconomos singulis mensibus, aut ad summum binis rationes reddere apud arcarios, sin minus, periclitabuntur.

CAP. XXIX.

De Jure quod competit Episcopo circa executionem testamentorum.

I.

Eleganter apud Corn. Tacitum judicat Germanicus: Non hoc precipuum amicorum munus est, prosequi defunctum ignavo questu, sed quæ voluerit meminisse, quæ mandaverit exequi. Rationem reddit Quintilianus declam. 308. quia nullum majus est solatium mortis, quam voluntas ultra mortem. Inde adeo semper curæ id fuit in utroque foro, ut supremæ defunctorum voluntates observarentur & ad effectum perducerentur, etiam religionis quandoque adminiculis in partes vocatis. Eum enim in finem solebant testamenti tabulas aut Vestalibus tradere custodiendas, aut in aliâ æde sacrâ deponere. Sveton. in Julio c. 83. & in Augusto c. 101. l. 3. §. 3. ff. de tabb. exhib. Utque expediretur id, quod iussit testator, ait Papinianus, heredes principali vel pontificali auctoritate compelli debere ad obsequium supremæ voluntatis. l. 50. in f. ff. de hered. petit.

II. Inter Christianos similis cura cesit Episcopis. Etsi enim in Concilio Carthaginensi quarto c. 18. prohibitum inveniatur, ne Episcopus tuitionem testamentorum suscipiat, recensente Gratiano c. 5. dist. 88. videtur tamen id non promiscuè de omnibus, sed illis tantum testamentis accipi debere, ex quibus nulla omnino piis causis expectanda fuerit accessio. Postea enim Episcopis autoritate Imperatoriâ injunctum hoc fuit munus, ut testamentorum ad pias causas factorum executionem procurarent. Sic enim Zeno Imp. in l. 15. C. de SS. Eccles. constituit. Si quis donaverit aliquam rem mobilem, vel immobilem, vel se moventem, aut jus aliquod personæ martyris vel prophete aut angeli, tanquam ipsi postea oratorium ædificaturus, & donationem insinuaverit, apud quos necesse est: cogitur opus, quamvis nondum inchoatum fuerit, perficere per se vel per heredes, & perfecto operi dare ea, quæ donatione continentur. Idem & in Xenodochiis & nosocomiis & ptochiis obtinet, licentia danda Episcopis & Oeconomis convenire ipsos. In genere hæc constitutio

Kkkkk

con-

concedit Episcopis potestatem, ut possint urgere heredes morosos ad expedienda ea, quæ à testatore ad causas pias destinata fuerunt.

III. Prolixior in tali *responsoria* fuit Justinianus Imperator, cujus hæc de re constitutio extat in l. 46. C. de Episc. & Cler. Sancimus, inquit, si quis moriens piam fecerit dispositionem, vel per institutionis modum, vel per legatum aut fideicommissum, aut mortis causâ donationem vel alium quemcunque modum legitimum, sive injunxerit pro tempore Episcopo curam agere, ut impleantur, que ipse voluit, sive hoc reticuerit, sive etiam in contrarium prohibuerit, necessitatem habere heredes id quod ordinatum est facere, & adimplere omnimodo. Quod si sponte id non fecerint, coarctim loci DEO amabiles Episcopos curiosos esse circa hæc & postulare, ut illi omnia impleant secundum voluntatem defuncti &c. In sequentibus exponit, quantum temporis spacium præfigi debeat heredibus ad explendam voluntatem defuncti. Eo elapso potestatem dat Episcopis exigendi ea, quæ destinata sunt, & ædificandi loca pia à testatoribus designata, præficiendi etiam administratores, & removendi eos, qui à testatoribus nominati fuerint & inhabiles aut negligentes extiterint. Tandem si nec ipsi hoc curaverint Episcopi, Metropolitanis & cuius denique ex populo eandem concedit potestatem. Si vero, inquit, negligentes fuerint locorum DEO amabiles Episcopi id agere, fortè gratia corrupti à scriptis hereditibus, vel legataris, vel fideicommissariis, licentia erit aut metropolitano provincie, aut Archiepiscopo illius dioceseos, hæc cognoscenti inquirere, & cogere pium opus aut piam liberalitatem omnimodo impleri, & cuicumque civium idem etiam facere licentia erit. Cum enim sit communis pietatis ratio, communes & populares decet etiam affectiones constitui harum rerum executionis, habituro unoquoque licentiam ex nostrâ hæc lege movere ex lege condictionem & postulare relicta adimpleri, sciente, qui hæc neglexerit, DEO amabili Episcopo, quod & ipse præter imminentes è cælo pœnas, etiam Imperialem motum super hujusmodi contemptu experietur &c.

IV. Idem repetiit Justinianus novell. 131. cap. 10. & 11. cui generalem hanc inferuit sententiam: In omnibus enim talibus piis voluntatibus sanctissimos locorum Episcopos volumus providere, ut secundum defuncti voluntatem universa procedant, licet præcipuè à testatoribus aut donatoribus interdictum sit eis habere ad hoc aliquod participium. Et eodem permittit modo ibidem omnibus hominibus petere, ut legata pia solvantur, & ad executionem deducantur, si quavis ratione viderint adversus testatoris voluntatem vel ex heredis, executoris aut etiam judicis segnitie quicquam attentari. Manuel Comnenus verò suam quoque autoritatem interponere se velle promittit in novellâ constitutione, quæ habetur in jure Græco-Romano pag. 190. Quod si, inquit, procurator, h. e. executor à testatore constitutus, ad dilationes se convertere visus fuerit, & deprehensus sit in hujusmodi rebus agere perperam, ad pro-

procrastinationes sese conferens, nec id agens, quod testator jussit, à procuratore rerum defuncti & ab administratione removebitur: quæ quidem injungetur iis, quibus Imperator statuerit, aut Imperatore fortassis absente, præfectus Urbis unâ cum sanctissimæ Ecclesiæ Oeconomo rem illam dispensabunt & administrabunt, daturi notitiam eorum, quæ in hujusmodi causis gesserint, tam Imperatori, quàm ejus temporis sanctissimo Patriarchæ, si peregre principem abesse contingat, nec secundum ipsius mandatum defuncti voluntas impleta fuerit.

V. Quandoquidem verò constitutiones istæ omnes, quas hæctenus adduxi de piis tantum causis & illas concernentibus ultimis voluntatibus loquuntur, disquiri deinceps cœpit inter Doctores, maximè illos, qui juris Canonici placita sequuntur, numquid Episcopis etiam in aliis testamentis & ultimis voluntatibus, quæ piarum causarum nullam planè faciunt mentionem, similis competat exequendi potestas? Qui istud affirmant, nituntur præcipuè c. 6. *de testam.* quod ibi in genere agatur de herede non adimplente jussa testatoris. Istius capituli inscriptio provocat ad auctoritatem Concilii Moguntini. Sed cujus? Fatentur enim, qui collationes instituerunt, id in vulgatis Conciliis non reperiri, sed legi in decretis post concilium Lateranensè sub Alexandro III. *part. 43. c. 5.* Quicquid verò sit de autore, dubitare adhuc licet, utrum tam generaliter textus iste accipi debeat, ut promiscuè ad omnia Laicorum quorumcunque testamenta applicari queat. Vulgatum est juris axioma à lege posteriore generali priorem specialem non tolli, l. 28. *ff. de legib.* nec præsumi legislatorem sine expressâ contradictione vel correctione priorem legem tollere voluisse, l. 35. *C. de iust. test. l. 32. C. de appell. l. 27. C. de Testam.* Hug. Donell. *lib. 1. comm. c. 13. in fin.* Imò verò ex rubricæ, cui textus ille substat, correptione, quæ de sepulchris & defunctorum voluntatibus decreta promittit, colligi potest, non nisi de piis causis actum in illis iri.

VI. Quod si rationes extensionis à Canonistis expetas, recurrunt illi ad vulgaria hodiè sua, sed *χρῆς τῆς πρῶτης* nata principia, ratione peccati scil. quod committitur, laicum subesse jurisdictioni Episcopi, mortaliter autem peccare eum, qui non adimplet voluntatem defuncti. Pontifici namque utramque potestatem spiritualem & temporalem esse datam à Christo; illum autem spiritualem sibi & suis iudicibus Ecclesiasticis reservasse, temporalem verò ejusque exercitium principibus secularibus commisisse, ita tamen ut utramque adhuc habeat potestatem, spiritualem quidem in actu & potentiâ, temporalem verò in habitu, quam ex justâ causâ possit reducere ad actum & exercitium, idque facere vel ipsum vel per Episcopos suos in causis illis, quæ concernunt peccatum & animam, qualis est etiam hæc, quæ nascitur ex omissione executionis ultimæ voluntatis. Aug. Barbosa *de offic. & potest. Episc. part. 3. alleg. 82. n. 16.* Didacus Spino à Caceres in *specul.*

Secul. test. gloss. 28. princ. n. 23. seq. Alii hanc reddunt rationem, quam ipse etiam refert Barbosa, testatorem post obitum destitutum esse omni auxilio, & esse personam miserabilissimam: Episcopum autem subvenire debere personis miserabilibus. Quæ omnia vel non cohærent, vel carent fundamento, & superiorum seculorum Episcopis planè fuèrunt ignorata.

VII. Leges tamen Wisigothorum *lib. 2. tit. 5. n. 16.* non minus Episcopo quàm judici loci aliquam largiuntur potestatem circa confirmationem testamentorum minus legitime conditorum. *Quia interdum necessitas ita sepè concurret, ut solemnitas legum liberè adimpleri non possit, idèò, ubi qualitas locorum ita constiterit, ut non inveniuntur testes, per quos juxta legum ordinem unusquisq; suam alliget voluntatem, manu propria scribat ea, quæ ordinare desiderat. -- -- Dies quoq; & annus habeatur in eis evidenter expressus. Deinde toto scripturæ textu conscripto rursus auctor ipse subscribat. Et dum hæc scriptura infra 30. annos ad eum, in cujus nomine facta est, vel ad successores ejus pervenerit, eam Episcopo vel judici infra sex menses non differat presentare. Quam sacerdos idem vel judex allatq; sibimet tribus aliis scripturis, in quibus testatoris subscriptio reperitur, ex earum comprobatione considerent, si certa & evidens scriptura est, quam idem conditor holographa ratione conscripsit: & dum ista prevederint, eadem chartula, quæ offertur, vera nihilominus habeatur. Atq; etiam continuo Sacerdos ipse, vel judex, sive alii testes idonei eandem holographam scripturam suâ denuò subscriptione confirment, & sic voluntas ipsius testatoris plenissimam obtineat firmitatem.*

CAP. XXX.

De Jurisdictione & judicio Episcopali.

I.

Judices olim apud Romanos non omnes habebant jurisdictionem, quippe quod dari sæpè à magistratibus solerent alii, quibus simplex & nuda de causâ cognoscendi potestas data & concessa intelligebatur. Atque idcirco reprehendit prætorem Ulpianus *l. 5. ff. de Re Jud.* quod in edicto jurisdictionis vocabulum minus appositè adhibuisset: *Ait Prætor, CUJUS DE EA RE JURISDICTIO EST. Melius scripsisset, CUJUS DE EA RE NOTIO EST.* Etenim notionis nomen etiam ad eos pertinet, qui jurisdictionem non habent, sed habent de quavis aliâ causâ notionem. Unde idem Ulpianus in describendis judicibus varias eorum à causis constituentibus enumerat species, *l. penult. ff. de Judic.* quando ait: *Qui neque jurisdictioni præest, neque à Principe potestate aliquâ præditus, neque ab eo, qui jus dandorum judicum habet, datus*